



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XXIV. De clerico venatore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

ideo non sunt attendendi, ex l. iure 13. ff. de legibus. Si ergo impuberes inveniuntur verè potentes ad coëundum, sicuti ex furto, perjurio, & aliis delictis; ita etiam ex delictis carnis tenentur, et si mitiori pœna puniantur, ut probant Caldas in l. si curatorem, verbo vel adulteri dolo, Farinac. dist. quest. 92. num. 93. Post pubertatem verò etiam dum minores sunt, pœnâ ordinariâ coëcentur; unde tenentur lege Julia de adult. l. auxilium 37. §. in delictis, ff. de minor. l. si minor 34. l. si adulterium 38. §. fratres ff. ad leg. jul. & etiam tenentur ex raptu, nefando incestu, & similibus peccatis contra naturam, l. 4. tit. 19. part. 7. l. 2. tit. 21. part. 7. probant Azevedo in l. 1. tit. 21. lib. 8. Recopil. nu. 48. Farinac. in praxi. quest. 92. à num. 83. Soula in aphorism. lib. 3. cap. 32. num. 19. Gregorius Lopez per textum ibi, in l. 8. tit. 31. part. 7. & ita pœnâ mortis ex eis delictis minores affici posse exemplis probat Marinis decis. 525.

I4. Sed suprà traditæ assertioni obflare videtur D. Augustin. relatus in cap. adhuc, de pœnit. dist. 3. in illis verbis: nec infans unius diei absque peccato super terram esse potest. Quibus consonat D. Hieronymus in cap. senim 40. de pœnit. dist. 2. ibi: Ne hoc unius diei fuerit vita ejus. Quæ verba si de peccato originali accipiuntur, parum significant; siquidem ante nativitatem statim post conceptionem peccatum illud contrahitur: quare de peccato actuali verba illa exponit Barbosa tom. 6. in select. ad ipsum textum. Quâ sententia retentâ deducitur, male in præsentî affirmari tantum pueros doli capaces, seu proximos pubertati, ex delictis teneri posse; siquidem post primum vitæ diem peccati capaces sunt. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, omisso Barbosa ubi suprà, verba illa, quæ acceperunt Sancti ex capite 14. Job. vers. 4 esse accipienda de peccato originali, quod contrahitur à die animationis; & ita sanctus Augustinus & Hieronymus non sunt intelligendi de infantis ordinariâ nativitate, sed de priori secundum Adam, quæ contingit tempore conceptionis, de qua exposuit textum in cap. qui in maternis, de consecr. dist. 4. in cap. 3. de baptismo. Et ita verum est, nec infantem unius diei, immò nec unius horæ, dati absque peccato, videlicet originali, posse.

I4.
Exponitur
cap. ad-



TITULUS XXIV.

De clerico venatore.

CAPUT PRIMUM.

Ex Concilio^a Aurelianensi.

Episcopum, presbyterum, aut diaconum, canes, aut accipitres, aut huiusmodi ad venandum habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate sapius detentus fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus à communione; si presbyter, duobus; si diaconus, ab omni officio suspendatur.

NOTÆ.

- I.** ^a **A**urelianensi. Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 1. & ex ipso Concilio citatur textus hic à Carnotensi lib. 3. tit. 15. c. 1. Gratiano sub nomine Paleæ in c. 2. 34. dist. Burcardo lib. 2. Decreti, cap. 213. sed in nullo ex Conciliis hucusque editis Aurelianensibus reperiuntur verba hæc; extant tamen paucis mutatis in Concilio Meldensi can. 8. Agath. can. 55. Epaun. can. 3. Vormac. can. 17. ut refert Antonius August. in epi. lib. 6. tit. 53. Præsentis canonis meminerunt PP. Concilii Senon. anno 1527. can. 26. Contra clericos Venatores, vel negotiis secularibus implicitos, si à venandi, negotiandive consuetudine moniti non desistant, ad pœnam Aurelianensis Concilii, & alterius Lateranensis procedatur.
- b** Canes.) De canibus venatoriis, & eorum usu plura congestit Demsterus ad Rosinum lib. 2. cap. 8.
- c** Accipitres. Ex hoc textu constat, quàm perperam Panzirola lib. 2. memorab. tit. 23. existimavit, venationem cum avibus olim ignoratam fuisse usque ad tempora Friderici Barbarossæ, qui flo-

ruit per annos 1154. cum jam tempore hujus Concilii, & Agathensis celebrati anno 426. mentio reperitur accipitrum; & in capite sequenti, qui transcriptus est ex Synodo Francica celebrata anno 742. immò etiam temporibus Aristotelis aucupium cum avibus in usu fuisse idem refert lib. 9. histor. cap. 39. ibi: Circa Thraciam, quæ supra Amphipolin est, rem prorsus admirandam, & ab his qui non viderint, incredibilem fieri ajunt; pueri enim è vicinis, & agris vicinis ad aucupium avicularum egressi, accipitres sibi socios assumunt. Hoc quidem maxime aliquis miretur, quod accipitres quasunque ipsi aves ceperint, pueris aucupibus deducant, cum pueri ex omnibus captis partem tantam aliqua accipitribus reddita discedant. Idem scribit Alianus lib. 2. histor. animal. cap. 42. ibi: Accipitres in Thracia cum hominibus per paludes societatem aucupandi coire. Nec non Plinius lib. 10. c. 8. ibi: Homines, atque accipitres societate quadam aucupantur. Plura Demsterus ubi suprà, D. Joseph. Pellicer. ad Polif. Gongora, stant. 3. Lælius Heraldus dialogism. 6. extitit. tom. 2. thesaur. critici, fol. 399.

COMMEN-

COMMENTARIUM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: Clerici venationi operam dare non debent, aliis si contraxerint, si Episcopus est, tribus mensibus; si presbyter, duobus à communione arcentur; si diaconus, ab omni officio suspenditur. Prohibent eam textus in c. 1. 34. dist. c. 1. ne clerici, vel monachi, cap. amputatis. 86. dist. Clement. 1. §. porro, de statu monachor. Clemen. 1. de celebrat. Missar. Synodus Turon. sub Carolo, can. 8. ibi: Sacerdotes canum, accipitrum, falconum, vel ceterarum huiusmodi rerum curam parvi pendere debent. Martin. con. 2. can. 13. Agathense can. 55. Epaunense can. 3. Vormac. can. 17. Concilium Augustanum can. 2. ibi: Episcopus, presbyteros, vel aliquem de Clero canes venandi amore, vel accipitres habere non licet, sicut in Concilio legitur. Toletanum cap. 10. Quisquis autem personarum huiusmodi in hac voluntate denudatus fuerit, quandiu in illa detestabili voluntate detinetur, ob omni ecclesiastico officio cesset. Salsburg. 2. tempore Martini V. Venationi quocumque cum canibus, necnon aucupationibus cum falconibus missis, aut huiusmodi volucris, clerici omnino non insistant, nec canes tales venaticos, aut aves in domibus teneant, nec secum per viam ducant. Eugen. III. in decreto edito ab Orthone Frisingensi lib. de gestis Eriderici, 35. Illi qui Domino militant, nequaquam in vestibus pretiosis, nec culta forma, nec canibus, vel accipitribus, nec aliis, qua portendant, lasciviam debent intendere. Quae & alia refert Ant. Augustin. in epit. lib. 4. tit. 32. & 33. & lib. 6. tit. 53. & lib. 7. tit. 27. Consonat lex 57. tit. 5. partit. 1. lex 47. tit. 6. eadem part. Illustrat ultra congestos à Barbofa in present. & lib. 1. de iure eccles. c. 40. n. 79. Avendanno de metu lib. 2. cap. 37. Lessius de just. lib. 2. c. 5. Landmeter lib. 2. de veteri monach. c. 48. Bufeus de statibus, nu. 4. Corvin. lib. 4. aphorif. juris Pont. tit. 32. D. Francisc. de Amaya in l. unic. C. de venat. ferar. Ludovic. Cresolus lib. 4. mystag. c. 28. D. Nicol. de Castro in l. un. C. de gladiat. n. 17. Majolus dier. canic. verb. Planta, fol. 267. Acunna in c. 1. §. 2. 34. dist. Petr. Gregor. libr. 93. syntag. c. 10. & lib. 4. partit. tit. 8. c. 8. & lib. 3. de repub. c. 17. n. 6. D. Petr. de Ovale in repetit. ad hunc text. Villaroël part. 1. regim. q. 3. art. 9. Theophilus tom. 14. fol. 211. Savarus ad Sidonium lib. 4. epist. 9. Novus Notator P. Blefensis epist. 57.

4. Sed pro dubitandi ratione in presentem assertionem ita insurgo. Venatio iure naturali omnibus concessa est, l. 1. §. final. cum l. sequenti, ff. de acquir. dom. l. 1. in princ. ff. de acquir. possess. §. fera, Instit. de rer. divis. l. 17. tit. 28. partit. 3. D. Thomas 2. 2. q. 64. probant Connan. lib. 3. comm. c. 3. Forcatulus in avario, c. 4. Concilius lib. 1. dist. c. 12. Cujacius lib. 4. observ. c. 2. Covarr. in regul. peccatum, 2. part. §. 8. sed quae juris naturalis sunt, lege positiva tolli nequeunt, l. eas 8. ff. de capit. dimitt. l. abdicatio 6. Cod. de patria potest. c. sunt quidam 25. q. 1. probavi in s. final. de consuet. & illustrat Salgado de retent. Bullar. 2. part. cap. 20. num. 84. Ergo contra juris naturalis dispositionem non potuit Ecclesia venationem, aucupiumve clericis prohibere. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo, nam Deus Optim. Maxim. omnia animalia, tam terrestria, quam volatilia, hominum gratiâ, & in eorum usum creavit, Genesis cap. 1. §. in pecudum, Instit. de rerum divisione, ex Chryssippo tradit Cicero de finibus cap. 3. Caelius Rhodig.

lib. 1. antiq. lect. cap. 3. Seneca lib. 4. de benef. c. 1. Aristot. lib. 1. polit. cap. 5. Ergo ferarum, & avium usus mediante venatione, seu aucupio clericis interdici non debet. Deinde augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam piscatio, & venatio in iure æquiparantur, §. ferè, §. flumina, Instit. de rer. divis. Decius consil. 197. Sed piscatio clericis permessa est, cap. Esan, 86. dist. cap. nunquam, de consec. dist. 5. Ergo & venatio etiam; præcipue quia tam piscatio, quam venatio ad relaxandum animum utilis est, ut bellè expressit Sidonius in Panegy. Aviti Imperat. & venationem per se honestissimam esse, probarunt Xenophon. lib. de venatione, Galen. initio lib. de ludo pilæ, & ex eis Theophilus tom. 4. lib. 6. sect. 2. cap. 10. Secundò etiam distinctio pœnarum in presentem statuta difficultatem non levem continet, siquidem certum est in pœnis infligendis semper rationem haberi nobilitatis, & dignitatis, ita ut nobilior, aut qui majori dignitate fulget, mitius puniatur, l. sacrilegii, §. 1. ibi: Aut si honestiori loco natus, ff. ad leg. jul. pecul. l. Pedius, ibi: Si humiliori loco, ff. de incend. §. rina, l. 1. §. quicquam, ff. de abigens, l. 1. in fine, ff. de furib. balnear. l. 1. §. expilatores, & §. ult. ff. de effractor. l. 2. ff. de termino moto, l. 1. §. ult. l. 3. §. legis, l. penult. ff. ad l. Corn. de scar. l. moris, §. sed enim, l. capitalium, §. non omnes, l. defertorem, §. penult. & §. is qui ad hostes, ff. de re milit. cap. pastoralis, ibi: Dignitati deferat, & persone; de offic. deleg. cap. ult. ibi: Volentes tamen nobilitati parcere; de pœnit. & remiss. cap. qui contra 14. quest. 1. cap. 1. vers. Qui verò, de usur. in 6. Illustrat Tiraq. de nobilit. cap. 20. Igitur non rectè in presentem gravior pœna irrogatur personis majori dignitate decoratis, præcipue cum in sacris canonibus Episcopis, presbyteris, diaconibusque æqualis pœna imponatur, ut in cap. placuit 13. dist. 31. cap. presbyter, 81. dist. cap. 4. 84. dist. cap. si quis 6. 72. quest. 2. can. 33. 81. 82. & 83. Apost. cap. 1. de cleric. excom.

Quâ dubitandi ratione non obstante, vera est prærens assertio; pro cuius expositione scire oportet, venationem triplicem esse: alia dicitur oppressiva, alia arenaria, sylvatica alia. Venatio oppressiva est in qua quis est oppressor hominum, de qua dicitur Genesis cap. 10. quod Nembroth erat robustus venator coram Domino, cap. final. §. finali, 6. dist. id est potentissimus hominum oppressor. Illustrat Zerda in divers. cap. 152. & de illa accipitur illud Davidis psalmo 60. Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium: Et psalmo 123. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Venatio arenaria est, in qua quis pugnat cum bestiis; & si quæstus gratiâ faciat, infamis efficitur, l. 1. §. item Senatus, ff. de postul. Cicero lib. 2. de offic. ibi: Omnino duo sunt genera largorum, quorum alteri prodigi, alteri liberales. Prodigi, qui epulis, & viscerationibus, & gladiatorum munerebus, venationumq; apparatus pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam, aut brevem, aut nullam sunt relaturi. Quæ venatio ob evidens vitæ discrimen quod adit venator, merito reprobanda est, & graviter à Cassiodoro rejicitur lib. 5. epist. 42. Venationem hanc appellant ludum venatorum Consulti in l. 4. ff. de administr. rer. l. civitatibus 122. §. ad honorem, ff. de leg. 1. l. aut damnum. 8. §. quicquid, ff. de pœnis. Suetonius in Nerone, c. 7. Vopiscus in Probo. Martialis lib. 1. epigr. 115. munus item dictum est à Saturno primum attributum: prodit Lactant. lib. 6. cap. 20. plura de hac venatione congesseverunt Bulenger in tract. de venatione, Mariana

5.
Venatio
quatuor-
plex.

intract. de spectacul. Amaya ad l. 6. Cod. de excusat. mun. Petrus Faber lib. 2. semestr. cap. 11. & in Agonistic. D. Laurentius Ramirez ad Amphit. Martial. Lipsius de Amphit. cap. 3. Panuinus lib. 2. de Circensibus, cap. 2. 4. & 5. de quibus venatoribus intelligendus est D. Augustinus relatus à Gratiano in cap. qui venatoribus. cap. vidit, 86. dist. dum ait: Qui venatoribus, donant, non homini donant, sed arti nequissime: junctis Vazquez in l. 2. dist. 111. quest. 21. Olvald. lib. 18. Donel. cap. 7. littera G. et si de venatione sylvatica accipiant D. Augult. Gratian. Buseus ad epist. 56. P. Blesensis, Petrus Gregor. lib. 3. de repub. cap. 17. num. 7. Venatio sylvatica, aucupativa, saltuosa, de qua in presenti agitur, est dum armis, canibus, seu avibus quis animalia terrestria, seu aves aucupatur, de qua plura Avendanno in tract. de venatione, Azevedo ad tit. 8. lib. 7. Recopil. Ritherusius ad lib. 1. Cynei Opiani: & illi magnopere dediti sunt Reges, Principes sæculares, ac alii Nobiles laici, ut probat Alteserra de Ducib. cap. 14. Immo illis valde necessariam esse non solum ad honestam recreationem, verum ut inde apti reddantur ad bellum, fusè probatur Demlerus ad Rosinum lib. 2. cap. 8. Pater Mendoza in viridario, lib. 5. problem. 2. Salcedo de regim. Principum lib. 2. c. 6. dubit. 23. Theophilus tom. 4. lib. 6. sect. 2. cap. 10. Solorzanus emblem. 33. Alteserra supra, cap. 14. Scipius Almiratus in disert. polit. lib. 2. discurs. 1. & doctè expressit Xenoph in lib. de venatione, ibi: Venationis studio dediti magnam ex eo utilitatem capiunt, nam corporibus bonam valetudinem comparant. Hinc vident, audiuntque magis, senescunt minus. Hæc ad bellum præcipuè instruit, primò quidem si vias difficiles sub armis ambulant minus lassantur; nam labores sustinent, quibus feras capere consueverunt; in hostium fuga ubiq, illos propter locorum peritiam rectè, aut tunc prosequuntur, quod si exercitus suus infeliciter pugnaverit, in sylvis, alijsq, iniquis locis seipfos cum cæteris non turpiter servare poterunt, nam consuetudo venandi eos peritiores reddit.

6. Venatio hæc clamosa, seu saltuosa omnibus laicis licita, atque honesta est. D. Hilarius in Matthæum, cap. 10. Non est criminis agere aucupium, ut arbitror. Probat Bassamon in cap. 24. & 51. 6. Synod. Savarus ad Sidonum lib. 4. epist. 9. et si ad eam juvenes aptiores, præstantioresque sint. Unde Nicolaus Papa in cap. 1. 14. dist. Lanfridum Episcopum juvenem appellat, quia venationi valde deditus erat. Meminit ipsius sententiæ Nicolai Petrus Blesensis epist. 56. dum ait: Legimus quia Nicolaus Papa suspensionis & excommunicationis sententiam in Lanfridum Episcopum ferri censuit, quia venaticam artem exercebat, licet ille excusabilior esset beneficio juventutis. Dicebanturque phasianarii illi servi, quos avium legato contineri negat Consultus in l. avibus 66. ff. de legat. 3. qui erant aucupio mancipati, ubi notavit Glossa, & posteam Sebastian Medic. de venat. p. 10. nu. 30. Pignorius de servis, & de eorum ætate agens Narbona de ætate, anno 18. quest. 3. Sed aliquando ratione temporis venatio etiam laicis prohibetur, veluti tempore quadragesimæ, & juniorum, cap. an putatis 13. dist. 86. nisi necessitate urgente, cap. si nulla 23. quest. 8. item & diebus festivis, si periculum adfit omittendi Missam. Concil. Meldense can. 27. alioquin his diebus venatio non prohibetur, cum non sit opus servile, immò liberale, l. 20. tit. 5. partit. 2. quod & agnoverunt Columella lib. 2. de rer. rustico. Virgil. lib. 1. Georgic. ibi:

*Quippe etiam festis quedam exercere diebus
Fas & jura sinunt: rivos deducere nulla
Religio vetuit, segetes prætere tendere sepe,
Insidias avibus moliri.*

Nec contrarium probat textus in cap. 2. hoc tit. ubi generaliter & indistinctè omnibus servis Dei venatio interdicitur. Igitur laicis venatio prohibita est. Nam responderetur in eo textu de clericis tantum agi, qui specialiter servi Dei vocantur, quia strictius, quàm laici ejus obsequio, & servitio mancipati sunt, cap. Cleros, 21. dist. cap. cum secundum de præben. textus disertus in cap. sicut 2. quest. 7. Ubi cum Fabianus Pontifex assereret, quod clerici non debent accufare laicos, hanc rationem adjecit: quia servum Domini non oportet ligare, Docent Germonius de induit. §. servus, num. 27. Grassis de effect. cleric. num. 5. quod facilius suadet si integ. um illum canonem transcribimus prout extat in Concilio Germanico à S. Bonifacio Ratisbonæ celebrato temporibus Zachariæ Papæ anno Domini 742. 11. Kalend. Maii. Servis Dei per omnia armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum, & in hostem pergere omnino prohibuimus, nisi illis tantum, qui propter divinum mysterium, Missarum scilicet solemniam adimplenda, & Sanctorum patrocinia portanda ad hoc electi sunt; id est unum vel duos Episcopos cum capitulis & presbyteris eorum Principes secum habeat, & unusquisque Præfectus unum presbyterum qui hominibus peccata confitentibus judicare & indicare penitentiam possit. Nec non & illas venationes cum canibus servis Dei interdiximus, & ut accipitres, & falcones non habeant.

His suppositis ut ad rationem præsentis prohibitionis deveniamus, variè adduci possunt. Prima, quia venatio est quoddam bellum, vel belli simulacrum, aut præludium, ut tradunt Xenophon lib. 1. de venatione, Tul. lib. 1. de natura Deorum. Athenæus lib. 1. Dynosopist. Pollus in præfatione lib. 5. Philon. lib. 1. de vita Moysis, Plato in Sophista, & tunc probat Mercurialis lib. 3. de artem gymnast. cap. 15. siquidem plerumque fit armis. Ovid. de Ponto eleg. ult.

*Turris antiquas & erat qui pasceret herbas,
Aptaque venanti gratius arma daret.*
Lucius Seneca in Hippolyto, act. 1. scena 1.
*Tu grave dextra lavaque simul
Robur lato dirige ferro.*
Statius lib. 2. sylvar. de Leone;
*Non formidato supra venabula saltu
Incitus.*

Et inde venabula dicta quasi venatui habilia. Ildorus lib. 18. etymolog. cap. 7. Servius ad versiculum 131. lib. 4. Aneid. Quia ergo Ecclesia pacis amantissima, clericos, & Monachos studio pacis detineri avidissimè expetit, venationem, quæ bellispecies est, & præludium, illis interdicit. Alia ratio provenit ex nimio studio, quo venationi mancipantur venatores; siquidem diu nocturne nihil aliud cogitant, ut expediti Thomas Morus ibi:

*Venator desessa toro dum membra reponit,
Mens tamen ad sylvas, & sua iusura redit.*
Quare clerici, qui servitio Ecclesie mancipati sunt, valde ab eo ex hujusmodi exercitio divagarentur, præcipuè cum venationis tempus sit mane, cum dies incipit, ut tradit Oppianus lib. de venatione Aurelii, ibi:

*Venemur dum mane novum dum molia præta
Nocturnis calcata feris vestigia servant.*

Seneca

Seneca in Hippolyto.

Veniet tempus

Cum lairatu cava saxa sonent:
Nunc dimissi nare sagaci
Capient aurās, lustraque presso
Quarant rostro, dum lux dubia est,
Dum signa pedum roscida tellus
Impressa tenet.

Sed eo tempore debent clerici pensum servitutis suae solvere, juxta tradita in cap. 1. de celebrat. Misser. Unde recte illis prohibetur venatio, ne distrahantur à proprio ministerio. Accedit D. Hieronymi sententia in cap. Esau, 86. dist. ibi: Quia nunquam legitimus sanctum venatorem. Abulensis in c. 6. Martini, quest. 43. in fine, ibi: Et propter hoc sancti viri non se dederunt huic occupationi, sicut piscationi, quia venatio vix sine nocumento proximi exercetur; ideo non legitimus sanctos venatores, sed piscatores. Facit Nicolaus Papa epist. 1. ad Alvinum: O miseram vitam hominum, & maxime sacerdotum! Qui dum lucrantis fidelibus debent insistere, venandis feris incumbunt; & quos capere oportet hominibus, capiunt aves: qui dum moribus student animantium, vitam suarum perdunt animarum! O infelicem vitam super omnem vitam! Nam in quo magis quis carnalis apparet, quam in tali vita. Venatorum enim vita nihil prater carnes capit, in qua dum quisquam permansit, nunquam probatus est, dicitur Sancto Hieronymo: Nunquam venatorem legitimus sanctum. Prosequitur alias rationes hujus prohibitionis Ovalle in present. §. 3. per tot.

8. Nec obstat dubitandi ratio supra adducta: nam licet verum sit, venationem esse juris naturalis, & ideo omnibus communem; tamen justis ex causis possunt Principes, tam seculares, quam ecclesiastici, venationem prohibere, aut ratione temporalis, veluti dum animalia nutriuntur, l. 2. cum sequent. tit. 8. lib. 7. recopil. quas late explicant Avendanno de metu, dist. lib. 2. cap. 37. Solorzanos de jure Indiar. lib. 3. cap. 3. num. 69. Castillo de tertius tom. 7. cap. 41. num. 118. Bobadilla lib. 2. polit. cap. 18. vel ne talibus instrumentis, aut mensibus exercetur, ne paucorum aviditas animalia, vel pisces exhauriat; coarctant enim libertatem naturalem venandi, aut piscandi, sed propter magis speciale bonum communitatis, & singulorum: quae statuta in quantum obligent, cum multis à se laudatis docent Amaya in l. unic. Cod. de venat. ferat. ex num. 42. Jacob. Vander. Graefius ad leg. non dubio. de captivis, cap. 41. Diana 3. part. tract. 6. resol. 18. Vasquez in flor. Theol. verbo Venatio. Tapia 2. tom. catenae mor. lib. 5. quest. 29. art. 5. 6. & 7. Artimeus de jurib. majest. cap. 4. Befoldus de jurib. majest. cap. 6. tom. 1. polit. Aut ratione personarum, veluti clericis, ex rationibus supra adductis; quia cum venatio sit juris naturalis permixta, non præceptiva, ideo potest à Principe justis ex causis mutari. Nec obstat augmentum primùm, quo dicebamus, omnia animalia hominum gratia à Deo creata fuisse, & ita usum eorum clericis prohiberi non debere; quia id procedit dummodo licite, & honestè illis utantur, & ad finem, ad quem creata fuerunt, non verò per improbum usum, qualis est venatio in clericis. Nec obstat argumentum deductum à piscatione, inter quam & venationem longa datur differentia; siquidem piscatio exercetur sine clamore, & armis; secus verò venatio. Facit ratio adducta à D. Hieronymo, videlicet quia nunquam legitimus sanctos venatores; piscatores autem plures, præcipue Apostolos,

qui etiam postquam Dominum sequuti fuerunt, honestum illud exercitium non reliquerunt, ut ait D. Gregorius Papa homil. 24. in Evangel. Joannis cap. 21. Queri etenim potest, cur Petrus, qui piscator ante conversionem fuit, post conversionem ad piscationem redijt? Et cum Veritas dicas: Nemo mittens manum suam ad aratram, & aspiciens retro, apius est regno Dei; cur reperijt quod dereliquit? Sed si virtus discretionis inspicitur, citius videtur, quia nimirum negotium, quod ante conversionem sine peccato exiit, hoc etiam post conversionem repetere culpa non fuit. Nec obstat secunda difficultas, nam verius est, juxta dignitatem delinquentis augeri crimen, & per consequens poenam, l. quadam delicta, ff. de penis, l. 2. l. omne, ff. de re milit. cap. homo, 40. dist. cap. quia sanctitas, 50. dist. late probavi in cap. cum quidam 12. de jurejur. Nec contrarium probatur in utriusque juris testimoniis adductis pro ratione dubitandi; nam si delictum ejus naturae sit, ut augeatur dignitate delinquentis, veluti quando peccatur in his, quae ad dignitatem concernunt, vel illius administrationem respiciunt; seu cum tale crimen cedit in dedecus, & contumeliam ipsius dignitatis, ut in presenti casu, tunc severius puniuntur, qui maiori dignitate fulgent: at verò si dignitas non adaugeat delictum; tunc mitius puniuntur, ut docuerunt D. Thomas 1. 2. quest. 73. art. ult. Tiraquel, de poen. tempor. casu 37. Unde in presenti casu imponitur suspensio trium mensium Episcopo, presbytero autem duorum mensium, diacono verò unius, ut legitur in dictis Conciliis Epauensis, & Agathi. ibi. Si Episcopus est, tribus mensibus se à communionem suspendat, duobus presbyter abstinere, uno diaconus ab omni officio & communionem cessabit. Ex quo canone corrigendus praesens textus, & illud notandum venit, abstinere in eo canone Concilij Epauensis, importare suspensionem, ut docuerunt Morinus lib. 2. exercit. cap. 3. Gibal de clausur. regul. disquisit. 2. c. 4. §. 1. & de censur. disquisit. 7. quest. 12. regul. 1.

9. Sed supra traditis obstat textus in cap. cum venerabilis, de censibus, ubi Innocentius III. agit de spallis, & friscingis, quas Prior sancti Stephani solvebat quotannis Episcopo Faventino: & ut ibi notavi spalla est armum, seu membrum ferarum, quod Abbas solvebat Episcopo ex feris, veluti apris, aut cervis, pro licentia venandi, juxta eundem Innocentium III. lib. 13. registr. in epist. ad Abbatem Sanctae Mariae Rotunda. ibi: Et quod ad Abbatem, & partium instantiam sylvam bannierant Ravennates, & qui venabantur in ipsa, reddebant eidem singulis annis spallam porci, illustrat Cironius lib. 1. obser. cap. 3. Unde deducitur, Abbatem, & Monachos sancti Stephani venationem exercuisse in diocesi Faventina. Igitur quia ecclesiasticis viris venatio prohibita non est, Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, discrimen esse constitutum inter eum casum, in quo venatio exercetur ab ecclesiasticis viris in nemoribus, & vivariis propriis; aut cum venatio exercetur in eisdem locis per extraneam personam, præcipue cum proprii redditus, & proventus in venatione consistunt. Primo casu venatio monachis prohibita est, ex presenti textu, & rationibus supra expensis. Secundo verò casu venatio permittitur. Clemen. 1. §. porro, de statu monach. & ita textus in dict. cap. cum venerabilis, accipiendus est eo casu, quo monachi per extraneam personam venationem exercabant, ex feris in ipsa venatione captis spallam, seu

7. radi-
ur de-
idendi
atio.

feu armum ipsius feræ, tributum nomine Episcopo persolvebant. Illud autem non omitam, frequenter fuisse olim Ecclesiæ prohibitiones circa venationem monachorum Benedictinorum, quia cum Divus Benedictus in sua regula cap. 48. aliàs 39. ita cavisset: *Carnium vero quadrupedum omnino ab omnibus abstinetur comestio, debilibus, egrotisq; exceptis*; fuerunt quidam catilliones, qui ab elu quadrupedum se abstinere, & volatilia comedebant, juxta mentem Rabani lib. 2. de vita cleric. cap. 27. dum ait: *Avium quoque esum credo inde à Patribus permillum esse, eo quod ex eodem elemento, de quo & pisces creati sunt. Nam in regula monachorum non inveniuntur aliarum carniarum esum eis interdictum esse, nisi quadrupedum.* Quam opinionem adeo aliqui monachi amplectebantur, ut suis aucupis in aere sterilitatem inducerent, ut refert Lantdmeter lib. 6. de veteri monac. part. 2. cap. 7. quare in Concilio Aquilgrano celebrato anno 817. ferè pro explicatione ipsius regulæ, can. 8. ita cautum fuit. *Ut volatilia inuis, forsive nisi pro infirmitate nullo tempore comedant, nec Episcopi ut edant, precipiant.* Et lib. 1. capit. Ludovic. tit. 78. certis diebus tantum monachis esus avium permittitur his verbis: *Ut volatilia in natali Domini, & in Pascha tantum octo diebus siesit unde, comedant. Si vero non fuerit unde, non requiratur per debitum. Si autem Abbas, aut monachi abstinere se voluerint, in eorum sit arbitrio.* Facit Aimonius lib. 5. de gest. Francor. cap. 10. *Volatilia cum ovibus de duobus festis, id est Pascha, & Natali Domini.* In monachos ita finitè accipientes prædictam prohibitionem invehuntur Prosper Aquitanicus lib. 2. de vita contemplativa, cap. 23. *Ceterum si à quadrupedibus abstinentes, phasianis, altilibus, vel aliis avibus pretiosis, aut piscibus perfruantur, non mihi videntur refecare delectationes sui corporis, sed mutare; nec pro abstinentia, sed velut pro nescio qua immunditia, vel certe, quod verius est, pro stomachi nauseantis teneritudine, delicias illas communes, & viles abijcere, quo possint aliis non solum carnibus, sed etiam delicatioribus, ac pretiosioribus carnibus suas voluptates explere.* Sanctus Odo lib. 2. collat. relatus à Petro Cluniacensi lib. 2. epist. 15. qui horrendum refert exemplum monachi de gallina comedentis eo prætextu, quod volatilis, & piscis ejusdem essent originis, aut generis. Facit D. Hieronymus in epist. ad Silvaniam, de servanda viduitate: *Procul sint à con-*

*vivijs tuis phasides aves, crassi turtures, atque lo-
nicum, & omnes aves, quibus amplissima patrimonio
avolant. Nec ideo te carnibus vesci non putes, si
suum, leporum, atque cervorum, & quadrupedum
animantium esulentias reprobes, non enim hæc pedum
numeros sed gustus suavitate judicantur. Nec ex di-
cilio cap. 48. regule D. Benedicti inferri poterat,
quadrupedum interdictione volatiliam etiam per-
missum esse; nam cum unum prohibetur, non
statim alterum permitti, concludendum est, maxi-
mè si jam à legislatore prohibitum est. Unde cum
cap. 19. Levitici dicitur: *Non maledices surdo, nec
voram cæco ponas offendiculum*; malè quidem dedu-
ceret aliquis, ex ejusmodi legibus permitti, non
surdis maledicere, & videntibus ponere offendi-
culum. Tantum enim D. Benedictus meminit qua-
drupedum, quia cum quædam ex eis viliores sint,
quam volatilia, non posset quis credere earum
esum non esse monachis interdictum. Prosequuntur
alia pro ipso abusu detestando Lantdmeter, ubi
supra. Hugo Menardus in concordia Regularium in
notis ad caput 4. Regule Divi Benedicti, Benedictus
Hæphtenus lib. 10. disquisitionum monasticarum,
tract. 6. disquisit. 2. & 3. Theophilus Raynaud, tom.
16. in Heterocl. Spiritual. 3. part. punct. 2. fol. 406.
& veram literam prædicti capituli 48. regule Divi
Benedicti restituit Servacius Lairuez tom. 2. Catho-
lic. novit. sect. 9.*

Deinde supra traditæ assertioni obstat textus in 10.
Clement. 1. de celebratione Missarum, ubi cum aga-
tur de horis canonicis, & de modo interessendi ca-
nonicis in choro, specialiter cavetur, ne ad Ecclē-
siam secum deferant canes venaticos. Igitur quia de celi-
extra Ecclesiā, præcipue intra domos proprias, brat.
possunt eos alere, & tenere. Pro cuius difficultatis
solutione dicendum est, in ea Clementina speciali-
ter prohiberi clericis canes deferre ad Ecclesiā,
quia agebatur de eorum residentia, seu interessē-
tia in choro; non tamen inde deducitur extra cho-
rum licere illis canes venaticos habere: quo modo
etiam accipiendus est textus in cap. cum Apostolus,
de censibus, ubi statuitur, ne Episcopi dum visitant
diocæsim propriam, canes venaticos, vel aves
secum ferant; nam non inde rectè inferri potest,
extra comitatum ipsum, & extra tempus visi-
tationis, Episcopos posse canes venaticos alere,
& tenere.

CAPVT II.

In, Eodem.

OMnibus servis Dei, ut venationes, & sylvaticas vagationes cum canibus; aut accipitres, aut falcones non habeant, interdicimus.

NOTÆ.

I. ^a **E**odem.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 1. & ex eodem Concilio Aurelian. citant textum hunc Burchardus lib. 2. Decret. cap. 217. Ivo Carnot. part. 6. Decret. cap. 39. & sub nomine Palæ à Gratiano in c. 3. 34. dist. Sed verba in præfenti transcrita non repe-

riuntur in aliquo ex Conciliis Aurelian. hucusque editis, extant tamen in Synodo Francicæ, seu Germanicæ temporibus Zachariæ I. & Caroli Magni anno 742. can. 2. ubi: *Nec non & illas venationes, & sylvaticas vagationes cum canibus servis Dei interdicimus, & ut accipitres, & falcones non habeant.* Reperitur eo. 17. regie editionis, & li. 5. ca. Caroli, capit. 1. & lib. 5. ca. 112. Textum hunc exposui supra inc. 1.

TITULUS